



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXI. In ecclesiis quarum ordinatio differtur, ab episcopo debet economus constitui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

est, non debet ab ipsa ecclesia remoueri, si tempore præsentationis suæ ille qui eum præsentauit, ius patronatus ecclesiæ possidebat. Si vero tunc non possidebat ius patronatus, sed tantummodo credebatur esse patronus, cum tamen non esset, nec possessionem patronatus haberet, secundum consuetudinem Anglicanam poterit ab eadem ecclesia remoueri. Donationes vero vel concessiones, si quæ fiant priuatis personis, illis uiuentibus quæ ipsas ecclesias possident, nullius debent esse momenti. Si fiant religiosi locis, ratæ debent haberi, ita quidem quod personæ, quæ iam dictas ecclesias possident, sine assensu ipsorum in vita sua eis non debent spoliari.

CAP. XXI. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Cum nos plerumque ordinationes clericorum oporteat differre, pro eo quod quandoque minus idoneæ personæ præsentantur, aut interdum inter nos & præsentatores personarum alia de causâ radix dissensionis emerferit: prouidendum est, ne occasione huius scandali aut fructus ecclesiis depereant, aut eis in spiritualibus grauiâ proueniant detrimenta. Inde est quod fraternitati tuæ, &c. quatenus si quando in illis ecclesiis vacantibus, in quibus persona ecclesiastica præsentationem non habet, vel quia personæ minus idoneæ uobis præsentantur, vel alia de causâ de iure personas non poteris instituere in ecclesiis ipsis, contradictione & appellatione cessante, ponatis œconomos, qui debent redditus ecclesiarum percipere, & eos aut in utilitatem ecclesiarum expendere, aut futuris personis fideliter obseruare.

Distinct. 75.  
Quoniam.

CAP. XXII. *Idem.*

Dilecti filii nostri decanus Eboracensis & prior de Neubure, quibus causam quæ inter canonicos de Giseburne & R. clericum super ecclesia de Cradun, vertitur, commisimus terminandam; transmissa nobis relatione monstrauerunt, quod canonici concessionem domini fundi habeant: R. vero donationem venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, & non domini fundi, se habuisse probauit. Vnde quoniam donatio ecclesiarum ad episcopos pertinet, & ad laicos assensum